



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Frid. Adolphi Lampe S. S. Theol. Doct. Ej. Et Hist. Eccl.
Professoris Ordinarii, Delineatio Theologiæ Activæ**

Lampe, Friedrich Adolph

Herbornæ Nassaviorvm, 1728

Capvt IX. De Officiis seu Mediis generalibus ad Conservationem &
Incrementum in statu Gratiae procurandum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-28501

fit & cura rerum mundanarum magis est extirpata. Hinc inter gnorismata fidelium Novi Testamenti occurrit, & cum Bonorum ejus promissione conjuncta est Ps. cxii. 5. 9. Jes. lviii. 8. 9. 10.

C A P U T N O N U M.

De Officiis seu *Mediis* generalibus ad *Conservationem* & *Incrementum* in statu Gratiae procurandum.

S U M M A R I U M.

- I. Supponitur, omnes, qui in statu Gratiae sunt, de ejus CONTINUATIONE sollicitos esse debere §. 1---12.
 - A. In genere id probatur 1.
 - B. Specialius indicantur officia huc pertinentia 2---12.
 1. *Junctim* proposita 2---5.
 2. *Divisim* deducta 6---12.
 - a. Studium Conservationis 6---8. quod
 - a. Describitur 6. 7.
 - β. Argumentis urgetur 8.
 - b. Studium proficiendi 9---12. quod
 - a. Describitur 9---11.
 - β. Argumentis urgetur 12.

II. ME-

II. MEDIA *huc spectantia enumerantur* 13---38.A. *Propositio* 13.B. *Deductio* 14---38.1. *Quatenus considerantur a parte Dei* 14. 15.2. *Quatenus considerantur a parte nostra*
16---38.a. *Media inepta* 16.b. *Media congrua* 17---38.α. *Generatim eorum indicatur* 17---19.N. *Indoles* 17.J. *Divisio* 18. 19.β. *Speciatim agitur de Mediis communi-*
bus 20---38.N. *Catalogus eorum datur* 20---34.a. *Quatenus conservant, Fidem*
supponentia 20---30.a. *Preces* 21. 22.b. *Studium Scripturæ sacræ* 23.
24.c. *Meditatio* 25.d. *Exploratio sui ipsius* 26.e. *Gratitudo pro beneficiis ac-*
ceptis 27.f. *Recordatio fœderis Dei* 28.g. *Conversatio cum sanctis* 29.h. *Attentio ad motus Spiritus*
sancti 30.b. *Quatenus præservant* 31---34.a. *Agnitio suæ imbecillitatis*
31.b. *Timor lapsus* 32.c. *Occasionum fuga* 33.d. *Obstaculorum remotio* 34.J. *Se-*

2. *Selectus urgetur* 35--38.

a. *Generalis quoad omnes* 35. 36.

b. *Specialis* 37. 38.

a. *Quoad minus exercitatos* 37.

b. *Quoad magis exercitatos* 38.

I.

Quamvis propositum regenti statim a primo Conversionis genuinæ initio implicite & radicaliter ad omnium Virtutum atque Officiorum, quæ percensuimus, studium se extendat; nihilominus neque in hoc proposito, neque in executione ejus initiali subsistere debet. Ut enim persuasus in conscientia sua sit, quod vere ex Regno tenebrarum in Regnum Lucis transierit, *Continuatio* ejus status ei debet cordi esse. Nihil enim magna hæc est felicitas, quam ut quispiam, qui sensu ejus fruatur, carere eo absque summa animi aegritudine valeat.

II. Ad hanc autem *continuationem* referimus duo Officia generalia, quæ pertractatis superaddi debent, scilicet *STUDIUM PERSEVERANDI* & *STUDIUM CRESCENDI* in Gratia, qua donatus est.

III. Duo hæc officia jungimus, quia sibi invicem innexa sunt. Nihil enim aliud per illa intelligimus, quam *legitimum usum illorum Mediorum, per quæ actuositas vitæ spiritualis conservari & augeri potest.* Cum autem media hæc coincidunt, quoniam, quæ Gratiam conservant, eadem & profectum in gratia largiuntur, & ea propter utrumque semper simul intendant fideles,

les, maluimus hæc conjungere, quam nimis subtiliter separare.

IV. Negari nequit, quod utraque, tam *Perserverantia*, quam *Incrementum* sanctificatorum u-nice dependeat a Gratia divinæ efficaci operatione. Analogia hic singularis est inter *Regnum Providentia* generalis & Regnum Gratia, inter vitam naturalem & spiritualement. Hinc utrumque Deus se fœderatis suis præstiturum esse promisit Jerem. xxxi. 39. 40. Joh. xv. 2. Utrumque etiam fideles a Deo orant & optant Ephes. i. 17. 19. Col. i. 11.

V. Quemadmodum autem Deus in *Regno natura* sapientissime instituit caussarum secundarum perpetuam catenam, per quam ipse fines suos per creaturas indubitato assequitur, sic ut illis operantibus cooperetur; pari ratione in Regno Gratia Mediorum sibi invicem subordinatorum nexum instituit ea fini, ut creatura nova per illorum Mediorum legitimum usum Fini suo paulatim propinquior evadat. Si ergo vitæ naturalis Conservator Deus est, & nihilominus illa jam alimentis, mox remediis indiget ad sustentationem simulac augmentum requisitis, facile animadvertitur, quod idem circa vitam spiritualement requiratur.

VI. STUDIUM CONSERVATIONIS per voces $\mu\eta\rho\epsilon\iota\nu$, manere, nec non נצו , שמר , $\text{τηρε\acute{\iota}\nu}$, φουλάττειν , *custodire*, *servare* expressum, interdum consideratur ut *Conservatio anima* ipsius, cui Lex Fœderis Gratia per initia regenerationis est inscripta, interdum ut *Custodia ipsius Legis*, seu Præceptorum, seu verborum Domini, quæ

A a

coin-

coincidunt. Consistit autem hæc *Conservatio* in *sancto anima usque, ut ad finem usque in Statu gratia perseveret.*

VII. Huc ergo pertinet

(1) Ut regenitus quærat in conscientia sua de Gratia sibi facta persuasus esse. Neque enim conservari rite potest, quod dubitas, an acceperis.

(2) Ut initia hæc, quamvis sint tenuissima, pro thesauro maximo agnoscat, qui omnibus totius mundi divitiis præferendus est.

(3) Ut reminiscatur omnium periculorum, quibus in via salutis expositus est, iisque invigilet.

(4) Ut contra illa se muniat illis mediis, quæ statim subjungemus.

VIII. Officium hoc frequenter Scriptura inculcat Matth. xxiv. 31. 1. Cor. xv. 13. Jud. vi. 20. 21. In eodem præstito gloriatur Ecclesia Psalm. xlv. 18. Idem se præstituros per gratiam Dei fideles vovent Job. xxv. 3. 4. Psalm. cxix. 33. 106.

(1) Hoc fluit ex natura veræ Fidei, quæ per hanc perseverantiam probatur Joh. viii. 31. Hebr. i. 6. 14. idque eo magis, quoniam ad unumquodque bonum opus *Constantiam* requiri Lib. 1. cap. 9. §. 57. probavimus. Adde quod sincerus Amor esse nequeat, nisi qui in unione cum objecto amato perseverare contendit.

(2) Hoc postulat ipsa officii in se spectati æquitas.

(a) Tantum beneficium collatio Gratiæ salutaris involvit, ut qui in eo conservando otiosus atque

atque indifferens esset, summæ ingratitude contra Deum esset reus.

(b) Quamvis fideles Gratia nequeant excidere, sensu tamen omni Gratia privari & in tenebras maximas incidere possunt, si negligentes sint in hoc officio.

(c) Ipsæ promissiones de constantia Fœderis Gratia eos debent incendere, ut immutabilem Dei fidelitatem imitentur.

(d) Cum studio perseverantiæ conjuncta est læta expectatio coronæ constantibus promissæ 2. Tim. IV. 7. 8.

IX. STUDIUM PROFICIENDI in sanctificatione, quod vocibus ἀύξανεῖν, περισσεύειν, crescere, abundare &c. exprimitur, illum sanctum animi designat nisum, quo regentis ab omnibus peccati reliquis magis expurgari, & ad gloriam Dei Redemptoris sui aptior indies evadere contendit.

X. Est autem *Profectus* in Gratia vel *generalis* quoad totum hominem internum, vel *specialis* quoad singulas virtutes. Unus sine altero esse nequit Ephes. IV. 15. 16. 2. Cor. V. 12. I. VIII. 7. Signate autem commendatur

(1) Profectus in cognitione 2. Petr. III. 18. Hebr. V. 12.

(2) Profectus in fide Luc. XVII. 8.

(3) Profectus in singulis partibus sanctificationis Phil. III. 12 -- 14. Apoc. XVII. 11. præsertim in amore 2. Thess. I. 3.

XI. Quare *Studium proficiendi* iterum involvit:

(1) Ut quis agnoscat, quod primitias Spiritus acceperit, atque eapropter in seipso lætetur.

(2) Ut quis humiliter defectus n̄vosque re-

fiduos agnoscat, atque ea propter affligatur.

(3) Ut desiderio intimo perfectius Deum colendi, per promissa divina & exempla aliorum accenso, impletus sit.

(4) Ut per illud incitetur ad Mediorum statum subjungendorum diligentem usum.

XII. Hoc officium cum præcedenti conjungendum est: veluti fit 1. Cor. xv. 58. Adde 2. Petr. 111. 18. Apoc. XXI 1. 11.

(1) Id iterum ex nexu omnium officiorum sequitur. Neque enim sincera erit *Fides* atque *Caritas*, nisi quæ in ulteriorem unionis cum Deo in Christo gradum, quamdiu ullus superest, enititur. Eph. 1 v. 15. 16.

(2) Sed & *Æquitas* officii hujus in se est aperta.

(a) Tanta felicitas cum primis Gratiaë initiis est conjuncta, ut, qui illa possidet, non possit non ulteriora ex toto corde desiderare.

(b) Promissiones, quas Deus de augmento Gratiaë dedit, contemnere, neque in usum suum eas convertere velle, animi degeneris & ingratis-
simi signum esset.

(c) Defectus incrementi indicium est morbi.

(d) Promotio ejus ad ipsius Dei gloriam tendit Joh. xv. 8.

(e) Eadem viam sternit ad majorem spiritualis modulum. *Qui habet, ei dabitur* Matth. xxv. 29.

(f) Nihil minus convenit Oeconomiaë N. T. quam in exigua Gratiaë mensura subsistere velle, cum Deus nobis amplissimam promiserit. Jes. XLIV. 3. 4. Mal. 1 v. 2.

XIII. Cum autem hoc studium in eo consistat potissimum, ut MEDIA huc pertinentia rite impendantur, horum *indoles & series* diligenter notari debet. Per ea intelliguntur *quæcunque vitæ spiritualis adminicula*, quæ possunt spectari vel a parte Dei, vel a parte credentium.

XIV. A parte Dei tam late hæc Media patent, quam late se extendit Regimen Triunius Dei in universo Regno Gratia, in quo omnia maxima, minima, secundum propositum æternum ita sapientissime a Deo sunt disposita, atque constantissime flectuntur, ut tum Ecclesie universæ tum singulorum electorum animæ ad salutis æternæ fruitionem præparentur ac paulatim introducantur. *Novimus diligentibus Deum omnia simul adjuvamento esse ad bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt Rpm. viii. 28.*

XV. Qui ita Media salutis suæ considerant, illorum officium est, ut certa ratione *passive* se habeant.

(1) Agnoscere debent summam suam impotentiam in *Mediis* congruis tam inveniendis, quam impendendis 2. Cor. 111. 5.

(2) Agnoscere debent Dei sui fœderati & fidelitatem & omnissufficientiam ad opus inceptum perficiendum Phil. 1. 6.

(3) Ductui divino se totos debent permittere, cujus exitus semper gloriosus erit Psalm. LXXIII. 23. 24.

(4) Nulla Media debent Deo præscribere, neque in eorum defectu nimium animi angi, sed in illis, quæ Dominus præstat, acquiescere, atque ea fideliter impendere.

XVI. Potissimum autem *Media* hæc consideramus a parte nostra, | quatenus *active* a nobis impendi debent Discriminandum hic est inter *Media congrua & inepta*. Posteriora sunt, quæ quis extra Verbi præscriptum sibi ipsi eligit, qualia v. gr. sunt, obsequium instinctus interni, Vota dura & absurda, ordinariæ functionis relictio, neglectus corporis ejusque nimia per Vigilias, Jejunia, quin Flagellationes, aliosque superstitiosos modos de-honestatio, Fuga hominum, severum vitæ institutum & ejusce farinae alia, quæ *Enthusiasticis ac Pontificiis* relinquimus.

XVII. De *congruis* magis *Mediis* hic anquirimus. Illa autem generatim tam late patent, quam late se Bonorum Operum exercitium extendit. Quamvis enim longissime absumus ab errore illorum, qui Bona Opera tanquam causas salutis considerant, nihilominus certum est, quod exercitium in illis aptitudinem adaugeat; quod quæcunque *Media* commendantur ad sanctificationem, illa ipsa in censum Bonorum Operum sint referenda; quodque Deus rite impendentibus Gratiam acceptam, ejus incrementum promiserit Matth. xxv. 29. Adde nexum, qui ostenditur 2. Petr. i. 8 -- 11.

XVIII. Sunt tamen officia quædam, quæ præ aliis ad cætera hanc relationem habent, ut *Media* salubria præstent, quibus rite adhibitis interior homo corroboratur. Horum censum hic inimus, atque ea ita dispescimus, ut quædam spectemus tanquam *generalia* & cuicumque Statui Christianismi communia, alia autem sequentibus Capitibus percensenda tanquam *Statui agrotorum* propria.

XIX. *Media* ad priorem classē spectantia partim ad *conservationem*, partim ad *preservationem* faciunt. Singulorum & *catalogum* & *selectum* observandum suademus.

XX. Inter *Media* generalissima ad *conservandum* vitæ spiritualis *vigorem* primus semper locus concedi debet *Fidei*. Si enim *quicquid non est ex Fide, peccatum est*, tum nullum Opus bonum sine Fide proferri potest, Et quomodo posset, cum Fides sola Jesum apprehendat, *sine quo nihil possumus facere?* Joh. xv. 4. 5. Confer illa, quæ de nexu Fidei cum omnibus & singulis Operibus Bonis passim in præcedentibus notata sunt. Occurrunt autem peculiaris quædam officia, per quæ Fides sanctificationem promovet.

XXI. Inter illa primum locum occupans *Preces*, quæ non temere, sed præcise ea fini fundi debent, ut Deus augmentum Gratia concedat. Hoc enim præcipuum legitimarum Precum argumentum esse educimus Cap. vi. §. 39. Adde 2. Thess. i. 17. Præprimis Precum speciale exercitium requiritur, tum ut in casibus dubiis Deus de voluntate sua nos erudiat, tum ut, quando difficultates graviores in ejus obsequio præsentimus, robor Domini apprehendamus. Sic fideles *se confortant in Domino*.

XXII. Maximæ hoc Medium est efficaciam, quia nulla pars Precum certius a Deo exaudietur, quam quæ augmentum Gratia sanctificantis a Deo expetit. Qui petit sanctificationem, secundum voluntatem Dei petit. Illam enim Deus *vult* 1. Thess. i. v. 3. Nullum donum exfertius se daturum promisit: idque merito, quia illud ma-

xime ad gloriam Dei idoneos nos reddit.

XXIII. Proxime *Studium Scripturæ Sacrae* commendandum est sive quotidiana textus meditatione, sive sermonum librorumque sacrorum ad pietatis exercitium promovendum compositorum auditione atque lectione in eum finem suscepta, ut inde addiscatur, quid Deus a fœderatis suis fieri velit, atque per illam stimuli subjiciantur, qui ad voluntatem Dei implendam incitant.

XXIV. Medium hoc insigne iterum pondus habet, ut opus Domini in vitæ spiritualis augmento promoveatur Joh. xv 11. 17. 1. Tim. 1 11. 16. 17. 1. Petr. 1 1. 2. 3. Totum enim argumentum Scripturæ ita est compositum, ut modum placendi Deo partim doceat, partim commendet. Ad docendum faciunt *præcepta*, ad commendandum *dogmata*, ad utrumque autem *exempla & historia*, quæ in Codice sacro continentur.

XXV. Quamvis autem inde liqueat, quod nulla pars sit Scripturæ sacrae, nulla veritas a Deo revelata, quæ non incentivum præbet ad obedientiam Dei, nihilominus *Meditatio frequens* certarum veritatum, quæ directius fortiusque præ aliis impellere possunt, ut novum & salubre Medium considerari potest. Huc pertinet

(1) *Meditatio Sanctitatis Dei*, quæ & perfectissimum exemplar est omnis rectitudinis, & origo veri Timoris Domini, ne vel minimo peccato lædatur.

(2) *Meditatio Omnipresentie Dei*, per quam semper reminisci debemus, nos in conspectu ejus ambulare Ps. cxxxix. 1 -- 4. Eccl. viii. 11.

(3) *Meditatio immensi ejus Amoris*, omniumque

umque beneficiorum, quibus immerentes ad se amandum pellexit, singulisque momentis denuo obstringit. Pf. cxv 1, 12. 15.

(4) Meditatio *Exempli Jesu Christi* Hebr. xii. 2. 3.

(5) Meditatio de *fœditate peccati*.

(6) Meditatio *Extremorum*, Mortis, Judicii, Æternitatis, quo magnis passibus properamus Pf. xc. 12. Sigillatim Adventus Domini ante oculos sæpe versans studium & desideria fidelium admodum incendit.

XXVI. *Quartum* Medium, quod suademus, est frequens sui ipsius *Exploratio*, cum potissimum in scopum directa, ut constet, an *incrementum* vitæ spiritualis adsit? Pf. cxix. 59. Quamvis enim illud sæpe obscurum sit, signa tamen quædam existant, ex quibus de eo judicare licet, præsertim illis, qui jam diutius in Gratia vixerunt, ac præsentem hominis interni staturam, ei, quæ ab initio aut ante aliquod tempus fuit, commensurare poterunt. Ubi autem post notabile intervallum, multaque Media impensa tale incrementum non animadvertetur, ibi apparebit, vitam interioriorem male habere, adeoque tempestive ei succurrendum erit.

XXVII. Addatur *quinto* *Gratitudo pro beneficiis acceptis*, tam maximis quam minimis, cum minimum propter nostram indignitatem pro maximo sit reputandum. Nihil autem Deum, Gloriæ suæ amantissimum, efficacius impellit, ut Gratiam Gratia adaugeat, quam ubi priorem debite aestimatam, atque impensam animadvertit. Psalm. l. 23.

Aa 5

XXVIII.

XXVIII. Non parum *sexto* auxilii accedet per *Recordationem Fœderis* cum Deo erecti Pf. cxix. 106. Ratio hic haberi potest tum *Baptismi*, tum maxime illius transactionis, quæ inter Deum atque animam nostram intercessit, quando actu servitio peccati renunciavimus & nos Deo tradidimus. Ex quo fundamento etiam *sacra Synaxeos* repetitus identidem usus & post usum jugis reminiscencia singularem utilitatem afferet. Amori sane Sponsæ frequens arrhæ a Sponso exhibitæ, vinculi que per desponsationem facti consideratio novum identidem fomentum præbebit.

XXIX. *Septimo* iter suum prosperabit, qui *Conversationem cum Sanctis* colet, idque eum in finem, ut non solum alii alios accendant, sed etiam ut piorum intercessione adjuvemur atque fidelibus eorum monelis emendemur Pf. cxix. 63. Hoc adminiculum præcipitur Hebr. 111. 13. x. 24. Hoc prædicitur Zach. v 111. 21. Correctio piorum sigillatim laudatur Prov. xxv. 11. Pf. cxli. 5.

XXX. Denique cum omnia Media a nobis adhibita absque cooperante Dei gratia nihil valeant, accedere debet *Attentio ad internum Spiritus sancti instinctum*. Hoc enim *Padagogo* interno gaudere regenitos, liquet ex Jes. xxx. 21. Rom. v 11. 14. Huic monenti qui morem gerit, secundo vento navigat. Cavendum ergo, ne per neglectum cum *contristemur* aut *suffocemus* Eph. iv. 30. 1. Thess. v. 19. Ea fini requiritur observatio impulsu conscientiæ ad Bonum Opus, exactio eorum ad trutinam verbi, promptumque obsequium illis præstandum.

XXXI.

XXXI. Ad *Media preservantia* primo loco referimus *humilem suae impotentiae, corruptionis & indignitatis coram Deo cognitionem*, atque inde natam sanctam *Sollicitudinem*, ne per imbecillitatem carnis alicubi impingamus Prov. xiv. 16. xxv. 11. 14. Nemo enim in majori periculo versatur, quam qui ex confidentia sui ipsius hostes contemnit I. Cor. x. 12. Matth. xxvi. 33.

XXXII. Sed & *secundo* felix est, quem faciunt *aliena pericula cautum*. Quare Timor sui ipsius non parum augebitur, quando *Lapsus aliorum* ea fini observabitur, ut eo magis nobis ipsis diffidamus Gal. vi. 1. Sed & idem effectus debet esse *judiciorum divinatorum*, quae aliis infliguntur, praesertim talibus, qui peculiaribus prerogativis donati erant Rom. xi. 20 -- 22.

XXXIII. Adjungatur *tertio* omnium illarum *Occasionum*, quae incitare ad peccatum possunt, prudens *Evitatio*. Nam qui corporis sanitatem amat, is fugit personas, loca, cibos & alia contagiosa. Inter illas Occasiones praecipuum periculum impendet ex conversatione cum hominibus mundanis, quae serio dissuadetur Prov. xiii. 20. xxii. 24. 25. Sirac. xiii. 1. 2. Cor. vi. 14. 15. 17. Non sane ulterius colenda, quam vitae externa functio requirit. Sed & haec ipsa aliquando mutanda, si occasiones peccandi inevitabiles, atque ita validae sint, ut illis resisti nequeat.

XXXIV. Denique *Fidelitas in removendis obstaculis* requiritur, quae progressum in orbitis justitiae praepediunt Jes. lxi. 10. *Obstacula* haec sunt vel *interna* vel *externa*.

(1) Ad priora referre possumus

(a) *Igna-*

(a) *Ignaviam carnis* Prov. xxii. 13. xxvi. 13.

(b) *Timorem hominum*, qui sæpe prudentiæ titulo incrustatur.

(c) *Peccata occulta* & nondum fatis agnita.

(d) *Laborem* per proprias vires, neglecta aut non satis perpensa necessitate gratiæ divinæ.

(e) *Vilipendium* Mediorum generalium, quæ in præcedentibus præscripta sunt.

(2) *Externa obstacula* non semper sunt in nostra potestate. Tales sunt *Tentationes*, quæ capite sequenti describuntur. Inter illa autem, quæ magis a nobis dependent, referimus:

(a) *Vita externa* genus non solum peccaminosum, sed etiam nimis per negotiorum cumulum animum obruens.

(b) *Consuetudines inveteratas*, quarum torrente multi ex nimia novitatis nausea abripiuntur.

XXXV. Promptuarium aperuimus, ex quo sibi prospicere debent, quos Vitæ spiritualis cura tenet. Quamvis autem nonnisi salubria Media in eo contineantur, *Selectus* tamen circa illa requiritur. Neque enim omnia simul adhiberi queunt, & quædam certis circumstantiis magis conveniunt; & in modo, quo adhibentur, differentia insignis locum habet; & casus quidam extraordinarii Media nimis consueta requirunt.

XXXVI. Ut autem in illo Selectu feliciter versemur, ante omnia ad Capitale illud *Mediorum* omnium *Medium*, nempe *Preces*, recurrendum est, per quas Deus imploratur, ut fatuis sapientiam det, ac cæcis viam monstret Jac. i. 5 Ps. xxv. 4. 5. Quod etiam promisit se præstiturum esse Psalm. xxxxi. 8.

XXXVII.

XXXVII. Huic duo alia addi possunt. *Minus exercitatis* in Viis Domini utile erit *in consilium adhibere* illos, qui majori experientia in stadio pietatis gaudent, sive sint Pastores pii, sive tales, quorum prudentia atque fidelitas spectata est. Illi, quæ sibi proficua maxime fuere, enarrare, dubitationem nodos solvere cunctantes impellere poterunt. Cavendum duntaxat,

(1) Ne facile ex quovis rumore aut præjudicio pietatis te aliis credas.

(2) Ne per intempestivam verecundiam te impedias a libera atque dilucida status tui enarratione, in quo consilium desideras.

(3) Ne cæca obedientia te privato cujuscunque hominis consilio tradas: cum non solum errare humanum sit, sed etiam maxima sit viarum Domini differentia.

XXXVIII. Qui autem *magis exercitati* sunt, illos fas erit *Experientiam* in medium adhibere, quam longiori usu & ambulatione in viis Domini sibi contraxere. Illam subministrant, tum quæ *in nobis ipsis*, tum quæ *in aliis* experti sumus. Certiora sunt illa Media, quæ nobis ipsis salubria aliquando evaserunt. Crebra ejus rei exempla in Psalmis occurrunt. Sic v. gr. Pl. 111. 5. 6. cxx. 1. 2. Cor. 1. 10. In aliis sæpe subministrabunt consilium viæ, quas Deus in Ecclesia inflexit Psal. LXXV 11. 6. Sed & attentio ad singulos fideles prudentes reddere potest Psal. xxxv 11. 37. Eccl. VIII. 12. In quam rem salubre est, ut, ubi circumstantiæ sunt congruæ, beneficia atque institutiones Domini aliis piis communicentur Psalm. LXVI. 16.

CAPUT